

coporum et Regularium etc. exceptis, repeto, hujusmodi primariis et characteristicis negotiis processu temporis factum est, ut minora præsertim negotia ab una vel ab alia Congregatione indiscriminatim tractarentur.

56. Hinc non raro datur locus præventioni. Illa scilicet Congregatio negotium pertractat et ad exitum ducit, cui prius præces admotæ sunt. Quin immo Innocentius XII. in *Const. Ut occurratur* diei 4. Junii an. 1692. decrevit, memorialia rejecta ab una Congregatione non esse ab alia excipienda. Quod si ab hac secunda Congregatione, ad quam confugitur, gratia impetretur, Innocentius eandem gratiam nullam fore edixit. Quare in more positum est, ut, statim ac aliqua Congregatio dignoscit, preces fuisse jam in eodem negotio alteri Congregationi oblatas, rescriptum proferat sequens: *Recurrendum ad priorem Congregationem* (quæ nominatur) jam præventam.

57. Tertium criterium. In sacris Congregationibus non solent expediri negotia inaudito Ordinario proprio oratoris, vel Superiore Generali aut saltem Provinciali illius Ordinis regularis, cujus vel personam religiosam vel jura negotium expediendum respicit. Quare stylus Curiae Romanæ est, ut super recursu vel precibus acceptis informatio et votum Ordinarii vel Superioris regularis respective exquirantur. Et quidem si negotium tertias personas attingat, in mandato informationis adjungitur clausula 'auditis interesse habentibus'.

58. Capta autem decisione, rescriptum remittitur Ordinario, vel respective Superiori regulari, ut illud executioni mandent. Porro forma horum rescriptorum talis esse solet, ut executori nudum ministerium committatur, adeoque executor, cognita veritate precum, juxta clausulam, 'si preces veritati nitantur', vel aliam similem quæ solet adjici, executionis decretum edere teneatur, observatis conditionibus in rescripto designatis. Præterea juxta regulam expositam in titulo *De officio Delegati* executor delegatus in casu de quo agitur non potest executionis officium alteri committere, nisi in ipso rescripto facultas subdelegandi concessa fuerit.

59. Quartum criterium. Distinctio facienda est inter negotia extrajudicialia et negotia ordinis judicialis. Iterum negotia extrajudicialia alia sunt minora, alia autem majora. Minora negotia, ex. gr. indulta et facultates, quæ jus tertii quæsitum lædere non solent, expediri consueverunt a Cardinali Præfecto cum Secretario et uno

vel aliquibus officialibus majoribus Congregationis. Et quidem si negotia hæc comprehendantur in facultatibus apostolicis Cardinali Præfecto aut Secretario tributis, resolutio statim per rescriptum expeditur.

60. Si vero negotium istas facultates excedat, resolutio non expeditur, nisi antea facta relatione Summo Pontifici, ab eodem probetur.

61. Graviora vero negotia quæ aliquam difficultatem sive juris sive facti quoad æstimationem et pondus circumstantiarum præ se ferunt, Congregationi generali Cardinalium examinanda proponuntur, et eorum sententia exquiritur. Sic ex. gr. petitio declarationis nullitatis professionis religiosæ vel nullitatis matrimonii, aut dispensationis a vinculo matrimonii rati et non consummati, altera parte non contradicente, vel liberationis ab onere præstandi legatum pium, sic etiam probatio regularum novi alicujus religiosi instituti, dispensatio ab irregularitatibus ex defectu etc. constituere solent objectum examinis Congregationis generalis.

62. Negotia ordinis judicialis ea sunt, vel quæ aguntur in contentione partium collitigantium, vel in quibus sententia condemnatoria alicujus Curiae Episcopalis, ex. gr. depositionis, privationis, aut suspensionis clerici, in gradu appellationis penes aliquam Congregationem novo examini subjicitur. Negotia hæc sive primi sive alterius generis ad Congregationem generalem pertinent et observata forma judicii saltem summarii ad exitum perducuntur. Hinc præventive determinatur punctum quæstionis, et dubium vel dubia, prout oportet, sub certa formula resolvenda proponuntur. Immo in contradictione partium solent dubia ab ipsis partibus, aut ab eorum procuratoribus concorditer præfiniri. Sin minus ex officio ab ipso Secretario Congregationis vel ab ejus adessore dubiorum formulæ determinari solent. Per hoc locum habet quoad substantiam contestatio litis, de qua agitur in libro II. Hinc etiam in quæstionibus judicialibus semper admittitur et expenditur defensio partium. Quin immo, si neutra vel alterutra ex eis contumax aut negligens ad sese defendendam fuerit, defensio ejus fit ex officio, expositis et declaratis rationibus tum facti tum juris, et Cardinalibus exhibetur. Unde sententia ex plena cognitione causæ profertur.

63. Hoc autem est proprium Congregationum Romanarum, ut sententiam pure et simpliciter dicant, respondendo ad dubia proposita *affirmative* vel *negative* et aliquando addendo *ad mentem*,

specialem scilicet dispositionem significando. Nunquam vero rationes decisionis exprimunt. Repræsentant enim supremum legislatorem Romanum Pontificem, qui dum legem jubet, non tenetur suæ voluntatis rationem manifestare. Qua in re animadvertimus, certum non esse, Cardinales in sententia ferenda moveri ab illis argumentis, quæ sive in foliis a Secretario exhibitis sive in allegationibus advocatorum adducuntur, adeo ut argumenta illa rationem decidendi constituent. Nam Cardinales accuratum studium et examen decisioni quæstionis præmittentes utique possunt ab aliis rationibus præterquam ab argumentis a Secretario vel ab advocatis præpositis ad sententiam proferendam induci. Quapropter a veritate aberraret qui consecraria a scriptoribus ephemeridum 'Acta S. Sedis' post unamquamque resolutionem Sacrarum Congregationum relata, ceu totidem principia juris a Sacris ipsis Congregationibus constituta reciperet. Solent enim plerumque hæc consecraria ex variis theoriis et argumentis inferri, quæ in Disceptione Synoptica earundem ephemeridum exhibentur.

Tandem animadvertimus, judicia in Sacris Congregationibus, excepta Congregatione S. Officii, de qua paulo inferius agemus, in forma publica agitari.

Verum sive ob quæstionis qualitatem, sive ob rationem personarum, non nunquam in via secreta causæ tractantur, ita ut sive Cardinales iudices, sive alii, qui partem habent in causa ex præcepto Summi Pontificis silentium servare teneantur.

#### De Congregationibus in specie, et primo loco De Congregatione Supremæ et Universalis Inquisitionis.

64. Congregatio hujusmodi appellari solet *Sanctum officium*, eo quia inquirere hæreticos, eorum conversionem curare vel contumaciam crimosam pœnis plectere, nec non regiones ab hæresi purgare merito reputatum et dictum fuit sanctum officium. Hæresis enim est crimen divinæ læsæ majestatis et christianæ societati maxime perniciosum. Cardinalis Pitra *tom. 3. in comm. ad Constit. 16. Quia tunc* Innocentii IV. n. 8. ex testimonio plurium historicorum demonstrat, Innocentium III. occasione hæresis Albigensium, ex consilio S. Dominici tunc Canonici Oxomensis primum instituisse sacræ inquisitionis tribunal, Gregorium IX. vero officium inquisitionis fratribus Ordinis Prædicatorum commisisse. Hoc autem officium deinde etiam fratribus minoribus Conventualibus S. Fran-

cisci ab Innocentio IV. in cit. *Constit. Quia tunc* commissum fuit. Quare factum est ut ex mandato Sedis Apostolicæ in pluribus Diocesisibus sensim sine sensu peculiaris inquisitionis tribunalia constituerentur.

65. Per hoc vero S. Sedis mandatum haud quaquam imminutum fuit jus inquirendi in hæreticos, quod Episcopis competit, immo positive confirmatum illud fuisse deprehendimus ex cap. *Per hoc de hæret. in 6º. et ex Clem. 1ª. eod. tit.* Unde Episcopi habiti sunt, et hodie etiam post institutam Congregationem S. Officii reputantur inquisitores nati contra hæreticam pravitatem in propriis Diocesisibus. Card. de Luca *De Relat. Roman. Curiae Disc. 14. n. 5.*

66. Quandoque autem Episcopis ab Apostolica Sede causa aliqua hæreseos vel suspicionis hæreseos cognoscenda committitur, frequentius autem iisdem demandatur officium processum conficiendi contra aliquem vel hæreticum vel de hæresi suspectum. In utraque hujusmodi hypothesi Episcopus vi jurisdictionis delegatæ procedit, ac proinde a mandati limitibus eum recedere nefas est.

67. Si vero sermo sit de Urbe Roma, inquisitionis tribunal ab ipso Summo Pontifice regebatur, qui ministris et consiliariis a se electis adjuvabatur. Præsertim vero Pontifici in hoc negotio operam suam præstabant alumni Ordinis Prædicatorum, inter quos unus sub appellatione Magistri Sacri Palatii assessoris seu consiliiarii specialis munere fungebatur, alter vero Commissarius inquisitionis nuncupatus est. Deinde autem tribunali præpositus fuit unus ex Cardinalibus qui ejusdem Præfectus dictus est. *Card. De Luca loco cit. n. 4.*

68. At sæculo XVI. hæresi Lutherana exorta, Paulus III. per suam Const. 34. quæ incipit *Licet* sacram Universalis Inquisitionis Congregationem instituit ut tribunalis S. Officii regimini melius consuleret, et major eidem auctoritas accederet. Hanc Congregationem restituit seu confirmavit Sixtus V. in cit. *Const. Immensa*, eamque voluit inter alias principem locum tenere. Hæc Congregatio componitur ex S. R. E. Cardinalibus, quos Romanus Pontifex nominat modo majori, modo minori numero pro ejusdem Pontificis placito, quique dicuntur Cardinales inquisitores generales. Præfecturam hujus Congregationis Summus Pontifex sibi reservat et quidem, prout testatur Benedictus XIV. in *Const. Sollicita* edita VII. Idus Julii 1753, in feria quinta cujuslibet hebdomadæ coram Pontifice Congregatio Cardinalium habebatur et eo præside quæ-

stiones jam discussæ et resolutæ in generali conventu pridie habito examini iterum subjiciebantur; hodie vero Summus Pontifex solummodo pro negotiis gravioribus expediendis coram se Congregationem aliquando convocat, eique præest. Cardinalis vero antiquior in Congregatione officium Secretarii implere solet. Quare Secretarius S. Officii non est Cardinalis Decanus Sacri Collegii. Cardinalibus inquisitoribus et iudicibus juvandis constitutum est collegium Consultorum, qui ex clero sæculari et regulari eliguntur peritissimi in scientiis sacris et in negotiorum ecclesiasticorum tractandorum experientia versati. Quæstiones a Cardinalibus resolvendæ antea diligenti Consultorum examine expenduntur, et eorundem votum circa ipsas quæstiones exquiritur. Qualibet feria secunda collegium Consultorum, Congregatio autem Cardinalium qualibet feria quarta adunari solet.

69. Congregatio hæc suos habet officiales. Primus inter omnes est Assessor, qui inter Prælatos sæculares eligi solet, quique præest conventui Consultorum, Cardinalibus congregatis proponit negotia peragenda et quæstiones resolvendas, una cum voto Consultorum prius habito, nec non Summo Pontifici Congregationis sententiam refert. Ipse etiam curam et regimen habet in Secretaria S. Congregationis et quotidianam negotiorum expeditionem moderatur. Secundus officialis est Commissarius qui ex Ordine Prædicatorum assumitur, quique socium habet ex eodem Ordine, et præsertim processuum conficiendorum munere fungitur. Tertius officialis est Fiscalis, qui sedet inter Consultores in eorum conventu, quique legis observantiam propugnat, et instructiones conficit, quibus Curie Episcopales in actis processuum exarandis dirigantur. Adest etiam advocatus reorum et Notarius cum aliis sibi adjunctis.

70. Porro hæc Sacra Congregatio verum et supremum inquisitionis tribunal constituit, et proinde ejus jurisdictioni omnes fideles cujuscumque ordinis et dignitatis subjiciuntur, et ab ea pendent omnes alii inquisitores ubicumque existunt. Ad hanc Congregationem juxta dispositionem Sixti V. in Const. *Immensa* spectat inquirere, citare, procedere et definire causas complectentes hæresim, schisma, apostasiam a fide, magiam, sortilegia, divinationes, sacramentorum abusum. Quare S. Congregatio Inquisitionis inquirat et condemnat fideles hæresis vel alterius ex descriptis criminibus reos, nec non eorundem scripta errore infecta proscribit. Hinc pariter materia sollicitationis in sacramentali confessione nec non matri-

moniorum inter catholicas et hæreticas vel schismaticas personas quæ mixta dicuntur sive quoad dispensationem sive quoad quæstiones circa eadem enodandas ad S. Officium exclusive pertinet. Hinc etiam hæc Congregatio normas tradit, quibus Curie Episcopales dirigantur in probanda status libertate pro matrimoniis rite ineundis.

Præterea huic Congregationi solet Summus Pontifex committere examen alicujus gravis negotii fidem non attingentis, quoties qualitas negotii vel personarum ad quas refertur, non admittat ut in aliis tribunalibus, in quibus forma judicialis publica servatur, negotium pertractetur. Hinc etiam non semel ab eadem Congregatione causæ matrimoniales de conjugii valore ex mandato Pontificis tractantur. Tandem Sacra Congregatio supremæ et universalis inquisitionis qualificat propositiones generales ejus examini subjectas ex. gr. tamquam offensivas piarum aurium, tamquam erroneas, vel suspectas de hæresi, aut proximas hæresi, vel tamquam hæreticas, nec non absolute respondet quæstionibus doctrinalibus materiam fidei et morum respicientibus ex. gr. utrum baptisma tali vel tali modo collatum valeat, utrum liceat in mutuo ex solo titulo legis civilis usuras percipere etc. Procul dubio responsa S. Officii in hac materia magnam sibi vindicant auctoritatem. Sunt enim lata a tribunali competenti, et post maturum examen virorum ob scientiam et probitatem omni exceptione majorum. At merito adnotat *De Angelis Lib. 1. tit. 31. n. 10. circa finem*, responsa hujusmodi non esse infallibilia et irreformabilia. Nam infallibilitas uni Rom. Pontifici promissa est; responsa autem hæc non sunt actus Papales, et licet Summus Pontifex eadem probet, tamen semper retinent naturam decisionis Sacre Congregationis et uti talia Summus Pontifex probat et vulgari jubet.

71. Non autem idem dicendum foret, si Romanus Pontifex decisionem S. Officii faceret suam, eamque per Constitutionem solemniter publicaret. Hoc enim in casu utique haberemus definitionem Summi Pontificis in materia doctrinali ex Cathedra loquentis ac proinde haberemus judicium irreformabile.

72. Sacra Congregatio Inquisitionis modum procedendi specialem sequitur qui in eo consistit ut in processu actorum secretum ab omnibus absolute servetur, quod per antonomasiam appellari solet Secretum S. Officii. Ceterum adnotat *Card. De Luca cit. n. 15*. Illud autem certum ac indubitatum est, (quidquid ignarum vulgus

indebite et absque fundamento opinetur), quod stylus (S. Officii) est nimium placidus ac benignus omnique majori charitate et circumspeditione plenus.

Qui plura desiderat, consulat duo celeberrima volumina Cardinalis Francisci Albitii, quorum uni titulus est *De inconstantia in fide*, alteri *De inconstantia in judiciis*; sed quoad res spectantes ad S. Officium, præsertim primum opus maximæ est utilitatis.

#### De S. Congregatione Indicis.

73. De hac Congregatione agimus secundo loco, quia consideratur ceu adiutrix Congregationis S. Officii. Cum enim supremæ inquisitionis tribunal ob negotiorum gravitatem et multiplicitatem ad omnes, qui vulgantur, libros suam vigilantiam non posset convertere, et bonos a pravis secernere, visum fuit librorum examini ope alterius Congregationis prospiciendum esse. Ecclesia, quæ fidei integritatem et morum sanctitatem totis viribus procurare debet, pabula salutis fidelibus præbendo, eosque arcendo a pascuis veneno infectis, jus habet proscribendi libros quorum lectione vel sana fides vel christiani mores labefactari possunt. Editores Cassinenses Bibliothecæ Canonice etc. *Lucii Ferraris* verb. *Congregationes n. 9.* adductis monumentis invicte probant, Ecclesiam semper usam hoc jure fuisse. Verum in tota antiquitate usque ad sæculum XVI. index librorum prohibitorum confectus non fuit, et solummodo cum post hæresim Lutheranam exortam gravis fidelibus perniciæ ex colluvie librorum pravorum immineret, factum est ut Paulus IV. indici librorum prohibitorum conficiendo an. 1557 et 1558 manus admoveret. Pius vero IV. menti Patrum tridentinorum *sess. 25. circa finem* in decreto speciali expressæ inhærens, Prælati quibusdam adhibitis doctrina et prudentia præstantibus, indicem librorum prohibitorum et regulas quasdam confecit et per suas literas *Dominici gregis* diei 24. Martii 1564 promulgavit.

74. Verum S. Pius V. Congregationem specialem Cardinalium instituit cujus officium esset, ut libros pravos proscriberet, et indicem eorumdem conficeret. Hujus Congregationis institutionem confirmavit, et illius auctoritatem ampliavit Sixtus V. in *cit. Const. Immensa*. Siquidem in hac Constitutione præter facultatem libros pravos proscribendi conceditur Cardinalibus Congregationi adscriptis etiam facultas librorum prohibitorum indices aut olim

aut proxime confectos eorumque regulas editas recognoscendi et examinandi nec non permittendi lectionem certorum librorum, qui vel prohibiti fuerant, vel in prioribus indicibus suspensi manserant, quoties post accuratum examen lectionem permitti posse judicaverint. Iisdem præterea Cardinalibus Sixtus V. concessit facultatem emendandi et corrigendi illos libros, qui paucis erroribus relictis, ceteroquin utiles esse lectoribus possunt. Voluit tandem ut Congregatio Indicis novos libros approbandi et imprimendi rationem præscriberet.

75. Componitur hæc S. Congregatio ex pluribus Cardinalibus, quos Romanus Pontifex eligit, quorum unus Congregationis præfecturam gerit, nec non habet plures Consultores ex utroque clero sæculari et regulari ex doctioribus assumptos. De jure autem Consultor et quidem principaliori quodam modo est Apostolici Palatii Magister. Secretarius vero ex Ordine Prædicatorum usque ab exordio Congregationis eligi solet.

76. In ordine ad pravorum librorum prohibitionem decem extant Regulæ jussu Concilii Tridentini editæ, quæ legi possunt apud *Ferraris Bibliotheca Canonica* verb. *Libri prohibiti n. 8.* Item solent apponi in editionibus ipsius Indicis librorum prohibitorum. Quare non pauci ex pravis libris tamquam vetiti habendi sunt, eo quod eorum prohibitio in præfatis Regulis implicite continetur. Sic ex. gr. libri, qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant aut docent in Regula VII. prohibentur. Excipiuntur vero libri antiqui ab ethnicis auctoribus conscripti ob eorum elegantiam.

Præterea Sacra Indicis Congregatio pravos libros post maturum examen singillatim condemnat.

77. Quandoque etiam condemnat insimul omnes alicujus auctoris libros quocumque idiomate conscriptos. Hæc condemnatio dici solet in odium auctoris facta. Scopus autem hujus censuræ est, ut fideles prorsus detestentur iniquum scriptorem, qui animi malignitate motus totis viribus fidem vel doctrinam moralem catholicam corrumpere nisus est, nec non ut avertatur periculum, ne fideles præsertim simpliciores unius vel alterius innoxii operis elegante sermone illecti, facile ad alia ejusdem auctoris prava scripta perlegenda trahantur. Hinc fideles a quovis auctoris illius scripto in vulgus edito perlegendo abhorreere debent.

78. Porro methodum in examine librorum a Congregatione Indicis servandam definiuit Benedictus XIV. in *Const. Sollicita* edita septimo Idus Julii an. 1753. Spiritus hujus Constitutionis est, ut S. Congregatio in examinandis et condemnandis libris præsertim auctorum catholicorum bonæ famæ magna cum moderatione et cautela procedat.

79. Tum Regulæ Indicis, tum particularia Decreta Sacræ Congregationis, quibus libri singillatim condemnantur, omnes fideles catholici orbis obligant. Regulæ enim publicatæ et intimatæ fuerunt ab auctoritate suprema in Ecclesia, singula autem Decreta a Sacra Congregatione ex mandato perpetuo Summi Pontificis conficiuntur et de ejusdem Pontificis intelligentia singulis vicibus promulgantur. Neque admitti posse videtur opinio illorum, qui dicunt, in aliquibus regionibus Regulas præfatas et Indicem librorum prohibitorum non esse usu receptum. Namque Romani Pontifices huic opinioni in facto constanter restiterunt, promoventes observantiam Regularum et Decretorum Congregationis Indicis, nec non reprobantes contrarias consuetudines. Plures hac in re editæ sunt constitutiones et decreta a Romanis Pontificibus quæ indicantur a *Ferraris Bibliotheca Canonica* verb. *Libri prohibiti*, quibus addi debent *Const. Benedicti XIV. Quæ ad Catholicæ*, ann. 1757, Decretum Leonis XII. diei 26. Martii 1825, et Epistola Encyclica Gregorii XVI. diei 8. Martii 1844.

80. Contra illos qui Regulas Indicis et librorum pravorum prohibitionem non observant pœnæ designantur in *Const. Pii IV. Dominici gregis*. Sunt vero 1°. peccatum lethale. 2°. Si quis hæreticorum libros, vel cujuslibet auctoris scripta propter hæresim vel falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita legerit aut retinuerit ipso jure excommunicationi non reservatæ subicitur, et contra eum tamquam de hæresi suspectum procedi potest. 3°. Si quis libros aliam ob causam prohibitos legerit vel retinuerit, severe ab Episcopo puniendus dicitur. In ordine autem ad pœnam excommunicationis, Constitutio Pii IX. *Apostolicæ Sedis* disciplinam immutavit. Etenim juxta art. secundum de pœnis *Excommunicationis latæ sententiæ speciali modo Sanctæ Sedi reservatæ* censuram hanc solummodo incurrunt: 'Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicæ libros . . . apostatarum et hæreticorum hæresim propugnantes necnon libros cujusvis auctoris per Apostolicas literas nominatim prohibitos, eosdem libros

retinentes, et quomodolibet defendentes'. Quoniam vero Decreta S. Congregationis Indicis non sunt actus Papales, et optime a literis Apostolicis distinguuntur; hinc hodie sola prohibitio per Decretum S. Congregationis Indicis haud quaquam secumfert censuram excommunicationis. Sed ad hanc pœnam incurrendam necesse est ut liber in cit. articulo *Const. Apostolicæ Sedis* comprehendatur. Quoad vero reliquos libros prohibitos remanent adhuc in suo vigore aliæ duæ pœnæ inflictæ a Pio IV. de quibus supra.

81. Insuper præ oculis habenda est dispositio *cit. Const. Apostolicæ Sedis* qua Pius IX. sanctionem Tridentinam in decreto *De editione* et usu Sacrorum Librorum temperavit. Siquidem, anathemati illos tantum subjacere decernit, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt'.

82. Tandem animadvertimus, licentiam legendi libros auctoritate ordinaria non posse ab Episcopis concedi, sed solummodo ab Apostolica Sede concedi posse. Ab ea enim auctoritate dispensatio a lege vel præcepto petenda est, a qua lex ipsa vel præceptum dimanat. Licentia autem hujusmodi a Sancta Sede per organum Congregationis S. Officii vel Congregationis Indicis gratis concedi solet.

#### De S. Congregatione negotiis Episcoporum et Regularium præposita.

83. Initia hujus Sacræ Congregationis ad S. Pii V. ætatem referenda sunt; officia autem eidem attributa in Constitutione *Immensa* Sixti V. determinantur. Quare huic Pontifici formalis institutio ipsius Congregationis adscribitur. Card. De Luca *De Relat. ad Curiam. P. 2. Disc. 16. n. 1.*

84. Juxta autem primævam institutionem binæ erant Sacræ Congregationes, una scilicet negotiis Episcoporum, altera autem Regularium negotiis expediendis præposita. Cum vero eisdem Congregationibus commissum esset quoddam universale ac politicum regimen cleri sæcularis et regularis, cumque in hoc duplici regimine uniformitas, et quædam utriusque cleri conspiratio concors et efficax ad bonum Ecclesiæ Christi procurandum necessaria videretur; hinc anno 1601 ex duabus una Sacra Congregatio conflata fuit. Card. Bizzarri in *Prologo* ad suam *Collectaneam pag. XXVII.*

85. Constat hæc S. Congregatio ex pluribus Cardinalibus a Summo Pontifice electis, quorum unus Congregationi præficitur.

Habet etiam Secretarium inter Prælatos urbanos assumptum, nec non substitutum et auditorem qui in privatis conventibus singulis hebdomadis cum Cardinali Præfecto adunati directionem negotiorum disponunt, et minora ac ordinaria negotia virtute facultatum Apostolicarum expediunt; negotia vero majora, et præsertim quæstiones juris ad generalem Congregationem Cardinalium decidendas remittunt. Et quidem pro singulis causis quæ in Congregatione generali tractantur, destinatur unus ex Cardinalibus, qui dicitur causæ Ponens, quique in conventu communi reliquis Cardinalibus quæstionem resolvendam proponit. Quod si agatur de causis contentiosis, quæ juris ordine servato agitantur, penes ipsum Cardinalem Ponentem peragitur contestatio litis, idest ab ipsis partibus litigantibus, vel ab eorum procuratoribus dubia concordantur, circa quæ disputatio et decisio versari debet. Hoc autem munus causas contentiosas definiendi S. Congregationi competit virtute Decreti editi Nonis Septembris 1834 quod refert Bizzarri in sua *Collectanea pag. 11*. Præterea ex Constit. Pii VII. *Post diuturnas* eadem S. Congregatio videt et decernit in gradu appellationis causas criminales in Curiis Episcopalibus per sententiam resolutas.

86. Exceptis quæstionibus contentiosis et causis criminalibus, ex mente institutoris Sixti V. S. Congregatio reliqua negotia tractat summarie et in forma extrajudiciali. Habita videlicet informatione ab Ordinario loci, vel a Superiore regulari, quoties negotium ad personam religiosam, aut monasterium pertineat, si factorum circumstantiæ sufficienter innotescant, resolutio datur, et vel Episcopo vel Superiore regulari per epistolam aut per rescriptum communicatur.

87. Hisce explicatis, primo loco exponenda sunt negotia quæ apud S. Congregationem vi præsertim Constitutionis Sixti V. *Immensa* tractantur et expediuntur quatenus est Congregatio Episcoporum. Sub hoc respectu S. Congregatio petitiones Episcoporum et Prælatorum nullius vel quasi nullius Dioceseos excipit, difficultatibus et quæstionibus respondet, causas Ecclesiarum et causas jurisdictionem respicientes summarie cognoscit, easque vel ex partium petitione aut ex officio componit; nec non quæstiones inter capitula aut personas singulares in re ecclesiastica dirimit, exceptis illis quæ sese ad interpretationem decretorum disciplinarium Concilii Tridentini referunt. Insuper S. hæc Congregatio, uti superius in titulo *De Officio Vicarii* innuebamus, Episcopo impedito,

vel senectute aut infirmitate laboranti Vicarium Apostolicum assignat, nec non causas videt remotionis Vicarii Capitularis et ipsorum Episcoporum ab officio, audito prius Rom. Pontifice. Hujus rei exemplum nostris temporibus habuimus in remotione Episcopi Tornacensis in regno belgico, quæ facta est per Decretum S. Congregationis Episcoporum et Regularium. Præterea eadem S. Congregatio peragit et expedit negotia alienationis bonorum ecclesiasticorum, in quibus juxta notam extravagantem *Ambitiosæ in tit. De Rebus Ecclesiæ non alienandis*, beneplacitum Apostolicum requiritur. Quare Cardinalis De Luca in *cit. Disc. 16. n. 24*. scribere potuit: 'Habet ista Congregatio latas habenas agendi etiam de illis negotiis quæ aliarum Congregationum peculiaria sunt, unde propterea (ut Urbanus VIII. dicere solebat) ista videtur Congregatio quodammodo universalis, exceptis causis, quæ directe fidei quæstiones concernunt, sive formalem interpretationem Concilii Tridentini; in reliquis, licet adsit Congregatio Concilii, attamen de iis quæ concernunt executionem vel observantiam ejusdem Concilii ejusque decretorum cognoscit. Prout etiam, licet adsit Congregatio Rituum, cujus peculiare munus est cognoscere ac decidere controversias super præcedentiis aliisque ecclesiasticis præeminentiis inter Clericos sæculares et regulares ac etiam super iis quæ prætendantur per laicos in functionibus ecclesiasticis, adhuc tamen ista Congregatio (Episcoporum et Regularium) istas causas cognoscit. Ideoque privativa singularis dictæ Congregationis Rituum versatur in præscribendo ritu super divinis officiis, ac etiam super canonizatione Sanctorum'.

88. Sacra Congregatio, de qua agimus, quatenus Congregatio Regularium est, vi præsertim *citata Constitutionis Immensa* tractat negotia regularium, eorum querelis respondet, et controversias dirimit. Permittit transitum de una ad aliam strictiorem religionem, cognoscit causas apostatarum ab ordine regulari et religiosorum fugitivorum seu vagorum. Procurat observantiam regulæ et quoad regulares urget Apostolicarum Constitutionum executionem. Præterea S. Congregatio videt et expedit negotia et petitiones respicientes monialium clausuram. Decernit erectionem et suppressionem monasteriorum, et ceu notat Cardinalis De Luca in *citata Disc. 16. n. 23*. 'omnia peragit, quæ Religionum et Regularium bonum regimen et directionem concernunt'.